Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia, lat

Mit Postilla litteralis von Nicolaus de Lyra, Expositiones prologorum von Guilelmus Brito, Additiones ad Postillam Nicolai de Lyra von Paulus Burgensis und Replicae contra Burgensem von Matthias Doering

Doering, Matthias

[Lyon], nach 7. Mai 1485, um 1488

Druckermarke

urn:nbn:de:bsz:31-304045

Visual Library

s Linguam etiam nichanoris in particulas preciſam iuſſit etc. propter blaſphemiam ab eo prolatam. Cetera patent.

a Itaque. Hic conſequenter ponitur celebritatis inſtitutio pro dicta victoria. et patet littera. Notandum tamen quod hic non fit mentio de inuitatione iudeorum in egypto habitantium ad huius ſolennitatis obſeruantiam. ſimiliter nec primo libro cap. vij. vbi de hac ſolennitate fit mentio propter quod non videtur bene dicere illi qui dicunt quod totum quod poſitum eſt a principio tertij capituli huius libri vſque huc poſitum eſt principaliter ad incitandum iudeos in egypto habitantes ad obſeruationem huius ſolennitatis. propter quod proceſſus quem tenui videtur mihi magis conſonus littere huius libri.

b Igitur. Hic in fine ponitur breuis epilogatio circa predicta. et patet littera vſque ibi.

c Ita legentibus ſi ſemper exactus etc. id eſt diſquiſitiuus vſque ad partes ſingulas qualis eſt ſermo hyſtoricus cui competit partes ſingulas diligenter inquirere vt dictum eſt ſupra cap. ij.

d Non erit gratus. propter prolixitatem ſcripture et vnitatem materie que ſolent faſtidium generare. ſed ſermo abbreuiatus qualis eſt in hoc ſecundo libro: qui eſt quedam hyſtoriarum abbreuiatio vt ibidem dictum fuit: eſt magis delectabilis. propter quod ibidem dicitur vt legentibus ſit animi oblectatio. et cetera.

e Hic ergo erit conſummatus. ſecundum illud Eſaie x. Conſummatione. i. abbreuiatione dominus deus exercituum ſcitum faciet in medio omnis terre. quod fecit per implerionem myſterij verbi incarnati. cui cum patre et ſpiritu ſancto ſit honor et gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Linguam[s] etiam impij nichanoris preciſam iuſſit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templum ſuſpendi. Omnes igitur celi benedixerunt dominum dicentes. Benedictus qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit. Suſpendit autem nichanoris caput in ſumma arce vt euidens eſſet et manifeſtum ſignum auxilij dei. Itaque[a] omnes communi conſilio decreuerunt nullo modo diem feſtum abſque celebritate preterire: habere autem celebritatem tertiadecima die menſis adar: que dicitur voce ſyriaca pridie mardochei die: Igitur[b] his erga nichanorem geſtis et ex illis temporibus ab hebreis ciuitate poſſeſſa: ego quoque in his faciam finem ſermonis. Et ſiquidem bene: vt hyſtorie competit hoc et ipſe velim: ſi autem minus digne concedendum eſt mihi. Sicut enim vinum ſemper bibere aut ſemper aquam contrarium eſt: alternis autem vti delectabile: ita[c] legentibus ſi ſemper exactus ſit ſermo non[d] erit gratus. Hic[e] ergo erit conſummatus.

Explicit ſecundus liber Machabeorum.

Explicit poſtilla Nicolai de lyra ſuper vetus teſtamentum cum expoſitionibus britonis in prologos Hieronymi: et cum additionibus pauli epiſcopi burgenſis et correctorijs earundem additionum editis a mathia dorinck ordinis minorum.